89.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVII.

M. HYACINTHO-THEODORO BARON, Antiquo Facultatis Decano, nec-non Castrorum Regis & Exercitûum in Germaniâ & in Italiâ Proto-Medicus, Doctore Medico, Præside.

An Vinum Parisiensibus salubre?

I.



NON satis est ad sanitatem corporis tuendam ut dapibus famem sedemus; sed sitim potibus restinguere, cibis vehiculum præbere incumbit necessitas; ne quamlibet autem crateram arripias; delectu opus est, non eadem omnibus opitulari quotidiana docet experientia. Nec te moveant acuti hydropotarum seu tremuli bibacum clamores; primi lymphæ potum summis extollunt laudibus, ex illâ dimanare uberem roboris, ex vino morborum, fontem asserunt: quos dulcia tentant meri pocula, ii ipsummet aquæ nomen expavescentes, vires quibus pollent Baccho ascribunt. Medium autem est in rebus; sua unicuique poculento manet laus, peculiares unicuique sunt dotes. Quam ad communem usum paravit ipsamet natura, genuinum aqua latici chylifero suggerit vehiculum, citiùs corporis incernicula permeat eaque patula servat: sola olim primorum hominum sitim levabat; verùm attendas velim; naturali & hodie inassueto utebantur vivendi modo; vigebant corpore & moribus; aberant luxus & turpes deliciæ; famem quærebant laboribus & exercitiis; ipsis igitur arridere poterat imò & debebat lymphæ simplicioris potus. At toto cœlo discrepant ab iis homines hodierni, illi præcipuè qui magnas incolunt civitates quas luxûs, vitiorum & morborum incunabula esse nemo non confitetur. Quid igitur præstarent in tantâ diversitate similia? quî juvaret prolem degenerem & imbellem aquæ potus? Nec tu, Sequana, nimiùm aquarum salubritatem collaudes; salubres quidem sunt, sed salubribus; optimum præbent potum, sed robustis & benè moratis corporibus. Debilis & corrupta Parisiensium constitutio pocula requirit validiora & vires instaurantia; illa autem ex cellis depromantur. Nostrum igitur consilium lucro appo-

nant. Ne tamen verba dare ſine ratione videamur, mox enarrabimus, quænam ſint meri dotes, & cur illud pro civium temperie præſtantius eſſe cenſeamus.

I I.

VINUM nuncupatur ſuccus ex uvis preſſus, mediante aeris calore per fermentationis motum mutatus in liquidum purum, pellucidum, ſpirituoſis partibus nobile, odore & ſapore gratum; præter has qualitates externas in omnibus vinis obvias, aliæ reperiuntur quibus maximè inter ſe differunt, ideò quatuor generatim numerantur vinorum genera; dulcia, nempè & ſaccharata, qualia ſunt regionum calidarum; auſtera, ut Burdigalenſia; media vel temperata inter quæ collocantur Burgundiaca; levia demum & ſpumoſa, in quorum numero adſunt Campana & Rhenana. Vinum quodcumque deſtillationi per balneum maris commiſſum, ſuppeditat 1°. liquorem admodùm volatilem, odore grato, ſapore urente præditum, inflammabilem, aquæ & oleis miſcilem, ſpiritûs vini nomine: 2°. aquam quæ in vino magnâ reperitur copiâ: 3°. demùm ſuperſtes in vaſis fundo materia continet tartarum & in vinis rubris partem colorantem: quantitas hujus extracti varia eſt in variis vinis; vina dulcia & ſaccharata ut Alonenſe, Moſchatellinum, adeò eâ extractivâ ſcatent parte ut in moſchatellini pintâ unâ ad uncias tres accedat dum in vino temperato non drachmas ſex ſuperet: in vinis auſteris & ſpiſſis ut Burdigalenſibus, tartarus abundat. Vina Campana & Rhenana, ut pote levia, ferventia & aere turgida, parte ſpirituosâ magis turgent, paucum verò ſuppeditant extractum. Harum differentiarum habenda eſt ratio ut innoteſcant eximiæ vini dotes, certiùſque determinetur quodnam cuique ſubjecto ſit magis proficuum. At ſalutis ſuæ ſtudioſus, fugiat angue pejus, tabernas cauponum illorum qui ſacrâ auri fame impulſi arte deteſtandâ vina miſcent aut adulterant. Inter enim varia quæ adhibent ad fucanda vina aceſcentia, nihil nocentius quam lythargirus aut aliæ plumbi calces; hoc metallum gratam vinis reſtituit dulcedinem, ſed omnes venenorum effectus producit; hinc cruciatus emergunt horrendi, convulſiones, ventris retractio, vomitus-bilioſi, paralyſes, lypothimiæ & atrociora ſymptomata in venenatis ſolemnia. Fraudes tamen iſtæ detegi poſſunt, modumque chemia indicat, vel evaporatione vini ad ſiccitatem, reſiduique fuſione in crucibulo; vel infundendo liquidum ſulphuris hepar, fit enim præcipitatio materiæ fuſcæ & ſubatræ, ſi plumbo adulteretur. Sed miſſo ulteriori vinorum examine, ne ultrà objectum divagari videar; nunc incumbit probandum, cur meri uſum ſuadeat Pariſienſibus præſens eorum conſtitutio & vivendi modus.

I I I.

INTER cauſas innumeras à quibus pendet præſens Pariſienſium temperies, præcipuè in cenſum venient, naturalis aeris conſtitutio, vivendi modus & unius cujuſque craſis a parentibus accepta: cæteris immorari ſupervacaneum foret; nec minùs certè veritas noſtræ propoſitionis elucefcet.

Quantùm debilem Pariſienſium temperiem foveat humida aeris conſtitutio, nemo, niſi planè rudis & inexpertus, ignorat; quid enim inſalubrius eſſe poteſt, quam illæ obſcuræ ſpiſſæque caligines, quibus per majorem anni partem tota infeſtatur civitas? Undè catharri, tuſſes, peripneumoniæ, pleuritides, anginæ, defluxiones oris, narium, & illa morborum ilias, quæ per totam hyemem deſæviunt, niſi à tali cauſa? Non mirum certè, ſi incolæ vias humidas pererrantes, capite ab athmoſphærâ frigidâ & aquoſâ refrigerato, iis ſint morbis obnoxii; ſiſtitur enim tranſpiratio, ſerum in corpore cumulatur, fibræ pulmonum relaxantur: viſne illæſum tueri fibrarum tonum, liberam humori per cutis po-

ros exſudanti viam conſervare, vino utere generoſo, hinc millena bona; partibus nempè ſpirituoſis ſcatente copioſiùs ſanguine, novum cordi calcar addetur, calor in extremas diffundetur corporis partes; uberior cutis & renum excretio corpus ab exundanti ſero liberabit; ſic aptius ad omnes motus evadet, vegetaque ſtabit ſanitas. Cave autem ne merum lymphâ nimiâ corrumpas, meracius bibendum, hyeme præſertim humidâ, ne nimiùm refrigeretur jam frigidum corpus.

Nunc ut novum noſtræ addatur propoſitioni argumentum, Pariſienſium vivendi modum oculis ſubjiciamus; quis rerum obſervandarum paululùm peritus, hanc magis ac magis degenerem & imbellem fieri non conſpexerit? Nunc ubique latè regna tenet effræna libido, lue venereâ, vel vitio parentum, vel ſuo major inquinatur civium numerus, innatus corporis calor præmaturè difflatur, & ante ſenectutem ſeneſcunt & reſolvuntur corpora; ex his, ſi nubant, non herculea certè expectanda progenies, quin imò miſeri infantes indè nati plectuntur pro parentibus; adeò debili pollent fibrarum texturâ, ut brevi fatiſcant viſcera, vix in lucem edito infante munus adimplere jam renuentia; hìnc contorti & deformes fiunt; hinc tot rachiticos Lutetiis videre eſt ita ut in adagium pro civibus tranſierit iſte morbus. Gravia ſunt iſta mala, ſed non immedicabilia, imò & præcaveri poſſunt; debilitas fibrarum prima eſt cauſa, huic igitur occurrendo, ſequelis & occurretur: quid autem hos effectus præſtantiùs exerere poteſt quam vini uſus? Nutrit ſimul & roborat, digeſtioni proſpicit, hìnc ros chyliferus ſpiritibus ſcatens vires addit organis; hinc in obſcuro latentia morborum ſemina vel ſuffocantur vel eliminantur. At hominis eſt optima prævertere & in extrema ruere; non huic dulce vinum ſapit; non arrident Bacchi munera; multi enim aquæ potum metu vini ſectantes, non tamen ab hauſtu liquorum ardentium temperare poſſunt, at ſummam illos ſibi inferre noxam quotidiana probat experientia; namque præter ebrietatem cæteris periculoſiorem, organa exſiccant, humores cogunt, ſtomachi tonum infirmant & calorem naturalem ſenſim reſtinguunt. Ab his igitur caveant qui ſaluti ſuæ conſulere ſtudent, ſed Baccho aliquoties litare ne vereantur, ſin minùs aliquando vituperii pœnas luent eoſque ſeriùs ultrix urgebit conſcientia.

I V.

NOVA nunc aggredimur; huc uſque vinum Pariſienſibus convenire ſat probavimus; nunc de fœminis ejuſdem urbis peculiariter dicendum; vinique uſum non reſpuere earum temperiem ex infrà dictis patebit. Ità enim à naturâ conſtitutæ naſcuntur fœminæ ut debiliori polleant temperie quam homines; felices tamen ſi non ipſæ nativam craſim adhuc depravarent, ſed otio recumbentes perpetuo, à laboribus quibuſcumque abhorrent, ſolis æſtus vel brumalem auram vitare ſollicitæ, nunquam aeris viciſſitudines experiuntur; hinc delicatior fibrarum nervearum textura, minimis offenditur, robore defraudatur corpus; morbis à debilitate fibræ, fiunt obnoxiæ; hinc proteiformis prodit hyſteris. Huic debilitati mederi certè nequit aquæ potus; vino igitur utantur, & lubrica firmabitur valetudo. Hujus effectus videre eſt in mulieribus & viraginibus quæ poculis indulgent, vox bene ſonora fauces adimplet, firmior vis corporis tonica, ad validiora exercitia corpus convertere queunt; abſit tamen ut vini uſum qualem in hominibus ſuadeam fœminis, meracius illis, dilutius his ut potè nimiùm irritabilibus, convenit. Tantas vino dotes nos adſcribere multi ſanè mirabuntur, non tamen nova ſunt & inaudita illa præconia; eximios ejus effectus non ſolùm in corpus ſed etiam in animum cecinerunt antiqui. Ingenii fomes & animi ſpe-

culum audit, atras abigit curas, frontis rugas delet, facitque disertos:

Tu spem reducis mentibus anxiis

. . . . ,

Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.

Illi igitur, quos sacræ Apollinis artes noctù diùque alliciunt & assiduis fatigant studiis, mero etiam aliquoties indulgeant; doctrinam etenim non raro morbo multiplici rependunt, nec sine detrimento corporis crescit ingenii acumen; tenuis ille nervorum vapor qui motum & vitam omnibus impertitur partibus ad cerebrum tunc confluit; hinc omnia viscera liquore spirituoso orbata languent, quiete ultrà modum protractâ fatiscunt & resolvuntur fibræ, primus plectitur ventriculus, digestioque deficiente aurâ nerveâ malè perficitur *; tantis tamen occurrere malis non difficile, non propterea studiis valedicendum; Bacchus nempè uberem roboris fontem illis indicat; grata illius dona capessant; brevi ab ingesto spiritu turgentibus nervorum staminibus restaurabitur ventriculus, debiles reviviscent fibræ, vis nova redibit organis, munia sua iterùm adimplebunt, & vitâ novâ roboreque novo totum exultabit corpus.

* Vid. Thes. amantiss. Collegæ Rousselde Vauzesme, *An perfectio digestionis à latice Nerveo?* anno 1776.

V.

AT objicient nonnulli vinum tanquam medicamentum præscribi debere, noxiosque semper ab ejus usu deprehendi effectus. Caveant illi aquæ potatores, ne voluptate suâ nimiùm delusi mala in vinum refundant quæ ab ejus moderato haustu nunquam sequuntur; nulli nocet vini usus nisi sit immodicus; cumque omnibus non eadem esse possit mensura, quisque sibi convenientem exquirat: juvenes parciùs utantur, largiùs adulti & senes; dilutius offeratur pueris & fœminis.

Hinc videtis, quantum prodesse possit meri potus; corpus contrà vitia quæ ab aeris inclementiâ pendent, solus tuebitur, debilitati fibrarum occurret, & latentia morborum semina præcavebit. Cum tamen optima sæpissimè fiant inutilia, imò & in perniciem corporis vertantur, solutâ vivendi normâ; moderatè omnibus utamini: si vitam recte dispensare velitis, nec fugienda petendis immiscere, quanta bona Bacchus amicis prudentibus largiatur, sentietis.

Ergò vinum Parisiensibus salubre.

Proponebat Parisiis GUILLELMUS MICHEL, Stenacæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor,
A. R. S. H. 1777. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1777.